

quos magistratus abrogatos, alios substitutos, urbium et vicorum administrationem commutatam, civium jura aequata, principum officia certius definita, populos publici consilii participes factos, principes denique populorum causa, non populos principum causa constitutos esse? Ecclesia autem quibus motibus hodie agitetur, quae consilia de doctrina et sacris ejus denuo quasi conformandis plurimi volvant, non minus constat et partim ipsi jam vidi-
mus. Neque intra catholicae ecclesiae fines studia illa sese con-
tinuerunt, non solus Rongius et qui ab eo sunt, pontificiae tyran-
nidis molem denuo labefactarunt et magis in dies labefactant,
sed in protestantium ecclesiam purioris doctrinae lucem quam
jam dudum accedit theologia, inferre hand pauci quamvis aliis
vehementer obstantibus et renitentibus contendunt. Quid autem
de schola et rebus scholasticis dicam? Dies me deficeret, si
sigillatim singula quae ad hunc locum pertinent vellem persequi.
Ut autem paucis praecidam, scholas civicas nostra aetate recens
conditas, praceptorum numerum auctum, disciplinam scholasticam
seculi ingenio accommodatam, novum denique scholarum genus
ortum esse, quibus id propositum est ut adolescentes artibus ad
certa vitae negotia, ad mercaturam factitandam, ad agros colen-
dos, ad saltus curandos et similia idoneis imbuantur, haec igitur
et infinita hujus generis alia quis est qui nesciat? Neque pro-
fecto ego adeo sum laudator temporis acti ut non laetandum
nobis et gratulandum esse censeam quod hos ipsos orbes et quasi
circuitus rerum publicarum nostra potissimum viderit aetas, sed
eosdem illustri documento esse duco, semper ad meliora pro-
gredi adjuvante et quasi manu ducente deo, sapientissimo et
sanctissimo rerum omnium rectore genus humanum. Verum
enimvero ut saepe usu venit in rerum novarum studiis, incensi illis
et inflammati homines facillime in praecipitia ferri, in extrema
quaeque ruere solent, quo fit ut etiam ea tollant quae conser-
vanda, ut abrogent quae emendanda sunt. Atque hujus ipsius
quamvis tristis et acerbae rei cogitatio sua sponte animos nostros
subeat necesse est hodierno die quo in hunc locum conve-